



SECRETARIA STATUS

Ex Aedibus Vaticanis, XXIX.IX.MMXV

N. 38.639/P

Excellentissime ac Reverendissime Domine,

Summus Pontifex nuper, ut Tibi est quidem notum, Nuntium Apostolicum in Helvetia constituit Excellentissimum Dominum Thomam Eduardum Gullickson, Archiepiscopum titulo Polymartiensem, cui erit honori epistulam hanc Excellentiae Tuae tradere.

Etiam si spe bona ducor fore ut idem, claris ornatus dotibus rerumque agendarum hominumque peritus, creditum sibi munus valeat digne ac laudabiliter implere, quo facilius id possit fieri, eum enixe commendo humanitatis officiis tum Tuis, Excellentissime Domine, tum ceterorum Praesulum istius Conferentiae Episcopalis; pro qua re Romani Pontificis nomine Vobis iam maximas habeo grates.

Interea hac data occasione libenter utor ut Excellentiam Tuam Reverendissimam et per Te omnes sacrorum Antistites Helveticos fraterna caritate in Christo Domino salutem observantissimo animo.

PETRUS S.R.E. Card. PAROLIN

Secretarius Status

---

Excellentissimo ac Reverendissimo Domino  
D.no MARCO BÜCHEL  
Episcopo Sancti Galli  
Praesidi Conferentiae Episcopalis Helveticae